BIBLIA (ISAIAS-APOCALYPSIS)

Österreich (Wien), 1455 Seite 196v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Congrega dispersionem nostram. Libera eos qui serviunt gentibus, con-
temptos et abhominatos respice ut sciant gentes quia tu es deus noster.
Afflige opprimentes nos et contumeliam facientes in super-
bia. Constitue populum tuum in loco sancto tuo sicut dixit moyses. Sa-
cerdotes autem psallebant ympnos usquequo consumptum esset sacrificium. Cum autem consumptum fuisset sa-
crificium ex residua aqua iussit Neemias lapides maiores perfun-
di. Quod ut factum est flamma ex eis accensa est. Sed et
ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est. Ut vero mani-
festata res est renunciatum est regi persarum quia in loco in quo ig-
nem absconderant hii qui translati fuerant sacerdotes aqua apparuit de qua
hic Neemias et qui cum eo erant purificaverunt sacrificia. Considerans autem
ipse rex et rem diligenter examinans fecit ei templum ut probaret quod
factum fuerat. Et cum probasset sacerdotibus donavit multa dona et a-
lia munera et accipiens manu sua tribuebat eis. Appellavit autem Nee-
mias hunc locum Nepthar quod interpretatur purificacio. Vocatur autem apud plures
nephi. Sequitur capitulum secundum machabeorum. **II.**

Invenitur autem in descripcionibus Jeremie prophete quod iussit e-
os accipere ignem qui transmigrabant ut significatum est et ut mandavit
transmigratis. Et dedit illis legem ne obliviscerentur
precepta domini et ut non exerrarent mentibus videntes simu-
lacra aurea et argentea et ornamenta eorum et alia huiusmodi
dicens hortabatur ne legem amoverent a corde suo. Erat autem
in ipsa scriptura quomodo tabernaculum et archam iussit propheta
divino responso ad se facto comitari secum usquequo exiit
in montem in quo moyses ascendit et vidit dei hereditatem.
Et veniens ibi Jeremias invenit locum spelunce et tabernaculum
et archam et altare incensi intulit illuc et ostium obstruxit.
Et accesserunt quidam simul qui sequebantur ut notarent sibi locum
et non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias culpans
illos dixit quod ignotus erit locus donec congreget deus congre-
gationem populi et propicius fiat et tunc dominus ostendet hec. et ap-
parebit maiestas domini et nubes erit sicut et moysi manifesta-
batur. Et sicut cum Salomon pecijt ut locus sanctificaretur.